CAPITULA EXTANTIORA
EDICTI PROVINCIALIS SAXONICI

de vindicta privata & violatione pacis publicæ inter personas nobiles, & quæ sub his comprehenduntur, aut alias honestioris conditionis sunt, prohibita.

I.



Ontra absentem verba injuriosa, famam & existimationem imminuentia, proferens ad palinodiam & deprecationem injuriato præstandam adstringitur, quæ pœna ob delicti reiterationem semiannali incarceratione aggravatur.

II. Qui præsentem gestibus aut verbis contumeliosis lacessit, post palinodiam sub formula præscripta recitatam carceri tolerabiliori per sex septimanas includitur.

III. Crescit pœna ob injuriæ atrocitatem, quæ æstimatur (1) ex ipsis verbis; (2) ex persona; si ab humili persona, aut certo respectu subjecta injuria facta sit personæ nobili aut aliàs ordinis & officii intuitu superiori, (3) ex loco; veluti si in domo, quam inhabitat injuriatus, injuria facta est; (4) ex facto concurrente; si ad verbera inferenda manus vel baculi similisve instrumenti elevatio accesserit; quandoquidem præter recantationem & deprecationem præstitam injurians in casu

primo, se ipsum ut mendacem corripere, & manu os suum percutere compellitur;

secundo, incarcerationem per sex menses, & pro re nata fustigationem & damnationem in opus publicum sustinet;

tertio, flexis genubus deprecatione præstita carceri per annum, aut pro qualitate admissi per biennium mancipatur;

quarto, per annum in carcere detinetur, qui terminus ad triennium extenditur, si cui in domo, quam inhabitat, talis injuria fuerit illata.

IV. Qui alterum manu, fuste, aut alio modo percutit, aut jactu lapidis similisve instrumenti petit, ubi ab injuriato lacessitus est, per biennium; hac vero circumstantia cessante, per quadriennium in carcere detinetur, & recantationem sub certa formula præscriptam flexis genubus præstat. Pro tertia aut quarta parte prolongatur tempus incarcerationis, si cui in ædibus, quas inhabitat, aut in loco privilegiato injuria realis sit illata; quando Palatii pax tali insultu insimul violata, dextræ manus amputatio decernitur.

V. Plagas palma vel pugno inflictas, qui iræ æstu percitus intra horæ quadrantem (ultra hoc enim temporis spatium iracundiæ impetus excusationem non præstat) fustis aut flagelli verberibus compensat, & adeo sibimetipsi jus dicit, eam ob causam nullam ulteriorem satisfactionem consequitur, & ob excessum in defensione adhibitum per biennium in carcere detineri debet.

VI. Qui non ex motu subitaneo, sed habita deliberatione in alterum nil tale metuentem fuste irruit, eumque male tractat, post deprecationem flexis genubus recitatam sex annos, & ex his primum annum cum carena, ut canones loqui solent, victus quotidiani loco tantummodo aquam & panem percipiendo intra carceris claustra transigere cogitur; id spei reliquum habens, quod carceris molestias quoad ultimum annum mille thalerorum solutione redimere possit. Si à tergo aggressio fuerit facta, pœna anterior aggravatur, & terminus commorandi in mala mansione ad octo annos extenditur, concessa facultate redimendi duos annos postremos bis mille thalerorum summa.

VII. Quando plures in alterius aggressionem violentam conspirant, singuli aggressores in genua provoluti deprecationem præstant, & carceris claustra dehinc subeant, in quibus, ubi insultus a fronte factus, per quinquennium, per septennium vero, ubi insultus à tergo factus, detinentur, carena ad sesquiannale spatium simul injuncta.

VIII. Per homines collectos adversarium fustibus aut flagris cædi mandans se & complices suos incarcerationi obnoxios reddit per octo annos duraturæ; ex quibus duos annos priores carena magis molestos efficit. Famuli ubi ad mandatum Domini tale quid perpetrant, nasi & aurium abscissione mutilati per quadriennium carceri duriori mancipantur.

IX. Postquam ergo pœnis admodum severis in illos animadvertitur, qui verbali & reali injuria alios afficiunt; ideo qui se læsum quocunque modo arbitratur, causa ad Rectorem & ad Concilium tanquam ad Magistratum ordinarium delatâ, ab eodem vel immediate vel mediate facta scilicet requisitione illius Magistratus, sub quo injurians forum sortitur, congruam satisfactionem expetere, ab omni autem privata vindicta & præsertim à provocatione ad duellum omnimodo abstinere debet.

X. Provocans alterum ad duellum sive verbaliter, sive per literas, aut per mandatarium, ubi in lautiore fortuna est constitutus, dimidiam redituum partem ad tres annos perdit, & carceris claustra per unum annum ea lege & conditione subit, ut per prius semestre carenam insimul sustineat, & per istud & reliquum

reliquum tempus ab omni conversatione cum propinquis & amicis semotus vivat. Qui nullas aut tenues facultates habet, hoc in casu per quadriennium in opus publicum damnatur.

XI. Qui post factam provocationem in fugam se conjicit, & post edictalem citationem emissam se sistit, pœna ordinaria plectitur. Contumaciter emanens, ubi pro relegato ad decem annos est declaratus, nomen infame patibulo affixum reportat, pœnæ ordinariæ, ubi eius copia haberi potest, adhuc subjiciendus.

XII. Quando extraneus in hisce provinciis commorans civem aut advenam ad duellum provocat, & postea in fugam se conjicit, provocatus rem ad Principem deferre jubetur, qui temeritatem istam pro ea, qua eminet, autoritate ac potestate acriter se esse vindicaturum, clementissime promittit.

XIII. Provocatus ad duellum provocationem non acceptet, multo minus ad duellum paratus compareat; sed rem omnem ad proximum Magistratum superiorem jurisdictionem habentem deferat.

XIV. Provocatus, quamvis oblatam duelli conditionem non acceptaverit, ob intermissam tamen factæ provocationis denunciationem sex menses cum carena in carcere transfigere necesse habet.

XV. Provocatus factam provocationem acceptans & occultans, perinde ac si duellum consummatum esset, æqualem cum provocante pœnam sustinet; simili modo pœnæ ordinariæ obnoxios se reddunt, qui duelli in provincia Saxonica suscepti processum in extranea provincia absolvere præsumunt.

XVI. Duellum absque homicidio consummatum provocantem æque ac provocatum, si ambo ad nobilium, aut qui eorum jure censentur, ordinem pertinent, ad incarcerationem per duodecim annos, & ad jacturam dimidiæ partis redituum annuorum per omne vitæ tempus sustinendam obstringit, tribus autem inferioris homines operi publico ad duodecim annos mancipat.

XVII. Qui commissa duello pœnam promeritam fuga eludere intendunt, post edictalem citationem frustra adhibitam facta per carnificem imaginis & nominis affixione perenni infamia plectuntur.

XVIII. In duello qui in continenti, vel post duellum ex vulnerum, quæ acceperunt, lethalitate pereunt, & ex Nobilium, & qui his pares censentur, ordine sunt, extra cœmeterium, aut in illo loco, in quo cadavera delinquentium sepeliri solent, a vespillone terræ mandantur; Inferioris gradus homines hoc fatum perpessi per carnificem patibulo affiguntur.

XIX. Homicida ex duello superstes & in dignitate constitutus confiscatione dimidiæ partis bonorum plectitur, & fracto prius à carnifice gladio capite truncatur; Plebejo post tale facinus superstiti carnifex dextram prius manum amputat, & laqueo gulam frangit, adhuc concurrente dimidiæ bonorum partis publicatione.

XX. Contra talem homicidam fugitivum post banni processum institutum & bonorum confiscatio sub certo tamen moderamine intuitu liberorum, si quos habet delinquens, & executio in effigie in loco infami per carnificem peragenda decernitur.

XXI. In crimine duelli omnis præscriptio, quamvis triginta & plures annos excedat, prorsus cessat.

XXII. Receptatores aut ad fugam adornandam adjutores eorum, qui duellum absque homicidio commiserunt, per sex menses incarcerationem cum carena sustinent.

XXIII. Qui tali modo homicidam ex duello reducem fovet, æquali cum provocante ad duellum pœna, quæ jam sub num. X. supra descripta prostat, afficitur. Eandem pœnam porro subeunt, qui ad duellum alios instigant, rixasque excitando occasionem duelli præbent, quibus accensentur, qui operam & consilium suggerunt, aut alio modo duellum promovent, aut Secundantium (ut nominari solent) partes in hoc negotio in se recipiunt.

XXIV. Famuli arma ad locum duelli portantes per unum aut duos annos in opus publicum damnantur.

XXV. Qui se ut Spectatores duelli gerunt, nec facinus istud, quantum in ipsis fuit, cohibuerunt, vel illud non confestim denunciarunt, in carcere tres menses cum carena transfigere tenentur.

XXVI. Cui de duello commisso scientia suppetit, illi quoque deferendi delicti necessitas incumbit, ni pœnæ arbitrariæ quis se obnoxium reddere, quam præmium pro denunciatione percipere, potius ducat. Qui enim denunciat duellum, centum thaleros, qui subitaneam aggressionem, quinquaginta thaleros, qui injuriam realem, triginta thaleros, qui verbalem, quindecim thaleros ex delinquentis facultatibus, aut his deficientibus ex fisci reditibus percipit.

XXVII. Sub specie aggressionis subitaneæ qui ex collusione ad declinandam duelli pœnam, ut passim fieri adsolet, arma conferunt, cum illis, qui formale duellum confecerunt, pari pœna corripiuntur. Quod si tamen citra collusionem ex subitaneo iracundiæ calore digladiatio fuerit suborta, homicidio interveniente, pœna capitali superstes plectitur; homicidio cessante, delinquentes impetuosum animum intra carceris claustra per semestre spatium sedare jubentur.

XXVIII. Qui stricto gladio aut instrumento ad globulos explodendos idoneo alterum ex insidiis & nil tale opinantem aggreditur, pro Sicario habetur, & ob voluntatem occidendi evidentissime detectam, licet exitus non sit secutus, gladio plectitur, si delinquens in dignitate constitutus; si inferioris ordinis est, laqueo suspenditur.

*** *** ***